

PRÆCOGNITA DECALOGI,

Reverendo Presbyterio Inspe-
ctionis Leucopetrææ

Ad disputandum proposita

à

MICHAELE CALERTO, SS. Theol.

Licentiato, Pastore ac Superintendente ibidem.

Respondebunt

M. MICHAEL MOEBIUS, Præpositus Liffensis,

&

GODOFREDUS Eichler/Pastor Lindaviensis,

Ille, ad Controversias Pontificiorum,

Hic, ad Controversias Calvinianorum &

Photinianorum.

Colloqvium cum Deo habebitur

Die 11. Sept.

Anno c^lo I^oc XLIX.

L I P S I Æ,

Excudebat Timotheus Ritzsch.

~~17~~

17 17 17

Coll. diss. A
153, 24

84. A 153 (24.)

BRACHIOLOGIA
DEGALOGIA

Reverendissimi Patris
S. Leonardi



MICHAELIS

Exemplar

MICHAELIS

EXEMPLAR

Die Bibliothek

der Universität

Dresden

1811

1811

1811

1811

Vertical text on the right edge of the page, likely from the adjacent page.



בגור

Antelogium.

I.

BEatus *Lutherus* in præfatione, quam *Elogium Ca-*
Catechismo suo majori præfixit, & quæ extat *techismi.*
Tom.4 Jen.Germ. p.427. egregiè commendat do-
ctrinam catechetica, & sermonem ibi suum in-
primis dirigit ad Pastores, eosque sui in hac parte
commonet officii. Memorabilia ipsius ibidem

hæc sunt verba: Daß wir den Catechismum so fast treiben/
und zu treiben beyde begehren und bitten/ haben wir nicht
geringe Ursach/dieweil wir sehen/ daß leider viel Pfarrer
hierin sehr säumig sind/und verachten beyde ihr Ampt vñ
diese Lehr/ etliche aus grosser hoher Kunst/ etliche aber
aus lauter Faulheit und Bauchsorge/welche sich nicht an-
ders zur Sach stellen/denn als weren sie umb des Bauchs
willen Pfarrer / und müsten nichts thun/ denn der Güter
gebrauchen. Das sind zumal schändliche Fresslinge und
Bauchdiener/die billicher Säuhirten und Hundeknechte
seyn solten/denn Seelwarter und Pfarrer. Et paulò pòst:
Das sag ich für mich. Ich bin auch ein Doctor und Predi-
ger/ja so gelehrt und erfahren/als alle die seyn mögen/ die
solche Vermessenheit und Sicherheit haben/noch thue ich
wie ein Kind/das man den Catechismum lehret / und lese
und spreche nach von Wort zu Wort/des Morgens/ und
wenn ich Zeit habe/die Zehen Gebot/Glauben/das Vater
unser/Psalmen/und muß noch täglich dazu lesen und stu-
diren/und kan dennoch nicht bestehen/wie ich gern wolte/
und muß ein Kind und Schüler des Catechismi bleiben/
und bleib es auch gerne/und diese zarte ekele Gesellen wol-
len mit einem überlesen flugs Doctor über alle Doctor seyn/

alles Können und nichts mehr bedürffen / das ist uns ein gewis
 wißzeichen / dz sie beyde ihr Ampt und des Volcks Seelen /
 ja darzu Gott und sein Wort verachten / und dürffen nicht
 fallen / sondern sind schon allzugreulich gefallen / dürfften
 wol / daß sie Kinder würden / und das A b c anfangen zu
 lernen / das sie meynen längst an den Schuhen zurissen zu
 haben. Eodem Tomo in præfat. commentarii super Zachariam.
 p. 248. enunciat hanc sententiam: Die besten und nützlichsten
 Lehrer und den Ausbund halt mir die / die den Catechis
 mum wol treiben Können / das ist / die die Zehen Gebot / den
 Glauben und das Vater unser recht lehren / das sind seltsa
 me Regel.

II. Nos ergo, qui Pastores sumus, dum paramus fraternam in
 Conventu Synodali instituere συζήτησιν, ut exhortationi Magni il
 lius Viri, Communis Doctoris nostri nos conformemus, atque ec
 ipso ostendamus, nos Catechismum dignè æstimare, ex corpore ca
 techetico materiam colloqvii statuimus transfumere, & sponde
 mus, annis secuturis, εὖν ὁ κύριος Θελήση καὶ ζήσωμεν, in hoc sta
 dio nos perrecturos.

Commenda
 tio Decalogi.

III. Ordinumur autem jam à Decalogo. Decalogum laudat Luthe
 rus in Colloq. c. 3. pag. 35. & vocat *Doctrinam doctrinarum*, nempe
 quia ibidem doceatur, quæ sit Dei voluntas, & quantum ad exse
 quendam illam summam voluntatem nobis desit. Alibi, nempe
 Tomo antè citato p. 428. sic in rem hanc effatur: **Wer die Zehen
 Gebot wol und gar kan / der kan die ganze Schrift / und
 kan in allen Sachen und Fällen rathen / helffen / trösten /
 urtheilen / richten beyde geistlich und weltlich Wesen / und
 mag seyn ein Richter über alle Lehr / Ständ / Geister /
 Rechte / und was in der Welt seyn mag.**

Vox Decalo
 gi.

IV. Appellatio *nominis* origine est græca, & dicitur Decalogus,
 quasi δέκα λόγοι, decem verba, seu præcepta, sicut loquitur Paulus
 Gal. 5. v. 14. *Toia lex in uno verbo* (ὅν ἐνὶ λόγῳ, in uno præcepto) *com
 pletur, nempe in hoc: Diliges proximum tuum, ut te ipsum.* Formata est
 vox ex Exodi c. 34. v. 28. ubi præcepta in duabus tabulis consignata,
 vocantur οἱ δέκα λόγοι. Deut. 4. v. 13. vocantur τὰ δέκα ῥήματα. Scri
 pto

alle
 A

ptores Ecclesiastici usurpant vocem communiter in genere masculino. In foeminino autem legitur apud *Philonem, Basilium, Gregorium, Cyrillum & Clementem Alexandrinum*: Et hi fortè vocem Decalogi habuerunt pro Adjectivo, & dum dixerunt, ἡ Δεκάλογος, procul dubio subaudierunt Foemininum νομοθεσία, vel Διάταξις.

V. Generalia Decalogi capita & quasi *Præcognita* sunt *Anti-Partitio, æquitas, Sanctitas, Universalitas, Dispositionis concinnitas, Implendi impossibilitas*. Singula breviter discutiemus. Oriens ex alto lumen gratiæ suæ adfundat nostro conatui!

CAPUT PRIMUM.

DECALOGI ANTIQVITAS.

I. Decalogum docet Moses suo ævo ac se præsentem & mediante promulgatum è monte Sinai, Exodi cap. decimo nono vers. 16. Promulgatio ista facta est Anno Mundi 2453. & ab eo tempore hucusque effluxerunt anni 3144. Et totidem annorum jam esset Decalogus. Sed sciendum est, Decalogum non cœpisse primùm sub Mose, sed natales habere longè antiquiores, & à primis mundi conditi incunabulis suum exporrigere principium. A primo enim mundo non licuit ulli homini Deos alienos habere, Dei nomen in vanum assumere, cultum divinum negligere, parentes & superiores contemnere, mœchari, furari, cæde & sanguine in proximum debacchari. Omnia hæc & similia homini à primâ creatione fuerunt prohibita, & hominem oportuit talia, ceu peccata, fugere, vel si unum alterumvè admisit, conscientiam eodem læsit propriam, Deumque ad iram provocavit, & justam pœnam postea reportavit.

Decalogus quando cœperit?

II. *Decalogus* ergò cœpit cum Mundo condito, & est ipsa *lex Decalogus Nature*, quam Creator primùm impressit Adamo, eâ perfectione, ut *naturalis*. homo instinctu naturali sciret, se teneri diligere Deum & proximum, & omni etiam voluntate ferretur in officia dilectionis istius. Post lapsum autem ethi natura per peccatum insigniter corrupta fuerit, remansit tamen δικαίωμα ἔθεος, ut appellat Paulus, Rom. i. v. 32. seu ut vocat c. 2. v. 15. ἔργον ἔνομος. Aliqui nominant *Diētamen*, item *Synteresin*, & est *intellectus practicus*, cujus ductu homo novit, quid sit agendum, quid omittendum, & quod, si temerè peccaverit,

*Antithesis
Photiniano-
rum.*

*Decalogus
revelatus.*

*Fundamen-
ta & exem-
pla Decalogi
revelati.*

incurrat offensam Supremi Numinis. Hanc notitiam homo post lapsum habuit reliquam, & hæc est quasi *Decalogus naturalis*, quem negant *Photiniani*. Negant enim principia de cultu Dei & honestate vitæ nostris animis per naturam inscripta esse, & è diverso contendunt, hominem, quicquid de Deo nõsset, tantum famâ & extrinsecus, *von hören und sagen*/addiscere. Videatur Ostorodus in Instit. c. 7. Cui errori nos opponimus unius Pauli verba Rom. i. v. 18. 19. ubi notanter dicitur, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ (id quod de Deo cognosci debet) φανερόν ἐναι ἐν ἀνοήτοις (in cordibus eorum:) Et addimus testimonium alterum ex Roman. 2. v. 14. 15. ubi adseritur, *Gentiles φύσσει operari τὸ ἔννομον*, & opus legis scriptum esse in eorum cordibus.

III. Decalogo naturali successit postea *revelatus*. Deus enim, id, quod naturæ primitus indiderat, cœpit post etiam externâ voce & publico præcepto sancire: Et Patriarchæ divinam illam voluntatem legalem in concionibus suis diligenter exposuerunt, hominesq; sui seculi ad pietatem & probitatem exhortati sunt: Deus quoque, quando homines peccatis se dederunt, publicis insuper suppliciorum exemplis ostendit, quantas pœnas incurrant ii, qui legem divinam spernant.

IV. Et utile est considerare ac paulisper adumbrare *fundamenta & exempla*, è quibus primo Mundo singula Decalogi præcepta potuerunt innotescere. Nempe *primi præcepti fundamentum* est illud verbum, quod Deus eloquitur ad Abrahamum Gen. 15. v. 1. *Ego sum scutum tuum, & merces tua magna valdè*. *Primi præcepti exemplum* est Jacobus, omnibus familiæ suæ hominibus præcipiens, ut auferant Deos alienos, eosdemq; defodiens, Gen. 35. v. 2. 4. *Secundi præcepti fundamentum* est illa regula Dei, Abrahamo proposita, Gen. 17. v. 1. *Ambula coram me*, id est, committe te curæ protectioniq; meæ, invoca nomen meum, statue, actionum cogitationumq; tuarum, omnium me esse arbitrum. *Secundi præcepti exemplum* est Melchisedecus, Abrahæ ex prælio reduci cum benedictione occurrens, Gen. 14. v. 20. *Tertii præcepti fundamentum* est illa divina sanctio, quæ legitur Gen. 2. v. 3. *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum*, id est, divino cultui eum destinavit, & verbi divini meditatione, Sacramentorum usurpatione, publicâ adoratione & similibus pietatis operibus

peribus sanctificari iussit. *Tertii præcepti exemplum* est Enos, cuius tempore coeptum est invocari nomen Domini, id est, per eundem publicum docendi ministerium, quod hæctenus Cainitarum persecutionibus dissipatum & præpeditum fuerat, iterum instauratum est. *Quarti præcepti fundamentum* est illa exhortatio, quâ Angelus Domini inclamat Hagarem fugitivam, & ad obsequium revocat, inquit: *Revertere ad heram tuam, & humiliare sub manu illius*, Genes. 16. v. 9. *Quarti præcepti exemplum* est Sem ac Japhet, reverentiam exhibentes Parenti, Genes. 9. v. 25. *Quinti præcepti fundamentum* est illa lex, quam Deus proponit, Genes. 9. v. 6. *Quicumque effuderit sanguinem humanum, illius sanguis effundetur per hominem.* *Quinti præcepti exemplum* est Jacobus, filiorum, Simeonis & Levi, in Sichemitas exercitam diritatem execrans, Genes. 34. v. 30. c. 49. v. 5. 6. *Sexti præcepti fundamentum* est illud statutum conjugii, quod Deus in Paradiso publicat his verbis: *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerabit uxori suæ, & erunt caro una*: quo sanè tum vagæ libidines & adulteria, tum polygamia & temeraria divortia apertè prohibentur, Genes. 2. v. 24. *Sexti præcepti exemplum* est Josephus, agnoscens, fornicationem esse grande malum, & propterea adulteræ mulieris improbas illecebras excutiens, Genes. 39. v. 8. 9. *Septimi præcepti fundamentum* est illa divina jussio, quâ homo suæ vocationi adstringitur, & labores difficultatesque intervenientes patienter sustinere monetur, Genes. 3. v. 19. *In sudore vultus tui, inquit Dominus, vesceris pane tuo.* *Septimi præcepti exemplum* est Jacobus, interdium & noctu curans greges Soceri sui summâ fide, malâ autem gratiâ Labani, qui furtivis technis seduli ac ingenui Generi mercedem decies subvertit, Genes. 31. v. 40. 41. *Octavi præcepti fundamentum* est illa divina increpatio, qua Cain negans se scire de Abele, fratre, ubi ille sit, duriter provocatur ad confessionem veritatis, Genes. 4. v. 9. 10. *Octavi præcepti exemplum* præbent filii Jacobi, Josephum à ferâ discerptum mentientes, Genes. 35. v. 31. *Noni & decimi præcepti fundamentum* habemus in concione DEI ad Cainum, Genes. 4. v. 7. ubi dicitur de peccato quiescente seu cubante, quod reverâ est ipsum peccatum concupiscentiæ, illud nempe peccatum, cui Cain jubetur dominari, ne in actum erumpat, & quod Deus postea accusat Genes. 6. v. 5. ubi vocat *malum figmentum cogitationum cordis.* *Noni & decimi præcepti exemplum* videtur esse

UXOR

uxor Lothi, rerum temporalium, quas perire sibi in incendio Sodomitico jam sentiebat, desiderio respiciens, & propterea in statuam salis conversa, Gen. 19. v. 26. Ex hac brevi deductione apparet, Decalogum hominibus ante- & postdiluvianis non uno modo fuisse revelatum.

Decalogus
promulgatus

Promulgatio
hæc

1.
Quomodo
facta?

2.
Cur facta?

Facta pro-
mulgationis
causa

I.

V. Taliter autem revelatus Decalogus succedaneum tandem habuit *promulgatum*. Deus enim etiam solenniter & peculiaribus ceremoniis publicare voluit voluntatem suam legalem. Publicatio illa *an facta sit voce Angeli*, ut vult *Lutherus* T. 4. J. G. in expositione cap. 20. Exodi, p. 525. *an verò propria DEI voce*, ut idem *Lutherus* videtur statuere T. 3. J. G. in informatione de libris Mosis ritè legendis, p. 177. & ut *Rivetus* asseveranter contendit in prælect. ad c. 20. Exodi p. 2. hoc loco non opus est prolixè disputare: sicut & prætermittimus cæteras istius factæ promulgationis circumstantias. Possunt enim legi & æstimari ex collatione locorum Scripturæ, Exodi 19. v. 10. 11. 12. 13. 16. 18. 19. c. 20. v. 18. 19. 20. Deut. 5. v. 4. 5. Act. 7. v. 53. Gal. 3. v. 19. *Causas* autem illius factæ *promulgationis* rimari, videtur hîc esse necessarium. Posset enim quæri, cur Deus Decalogum, antea sanè non incognitum, propriâ voce repetierit, & populo in primis Israelitico commendaverit, imò tabulis postea lapideis inscripserit? Et annon potuisset sufficere notitiæ Decalogi, tum communiter homini connotata, tum Patriarchis *απογγίνω* revelata? Quæstio hæc meretur aliquantulæ inquisitionis impendium. Certum autem est, DEUM justas habuisse causas solennis illius promulgationis. Supponimus enim hîc illud tralaticium: *Deus nihil facit frustra.*

VI. Promulgatus igitur fuit Decalogus, I. *ut esset quasi signaculum Legis nature*. Per lapsum enim notitia legis, hominum mentibus in primâ creatione indita, vehementer oblitterata fuit, ut homo jam inciperet obluçtari naturali dictamini, & existimaret, furari, scortari, mœchari, mentiri, calumniari, in vitam proximi grassari, non adedò magna peccata esse, & sicut se habet mundi ingenium, ut subinde in pejus ruat, ita naturale jus tandem deperisset omne, vel à Centauris hujus seculi adedò conculcatum fuisset, ut non ampliùs observatum, & opinionis magis, quàm juris loco fuisset habitum. Ideò ne tale quid fieret, sed ut legi naturæ suus valor maneret, eademque pro æternâ lege agnosceretur, voluit DEUS illam solenni

pom

pompâ repetere, & in populo Israelitico universum genus humanum denuô sibi obstrinxit ad obedientiam, additis insimul fulguribus ac tonitribus, pro testimonio nempe suæ severitatis, ut unusquisque sibi persvaderet, vi fulminum ac tonitruum in infernum deturbatum iri, quotquot legi divinæ contravenerint. Sicut enim in more videmus positum Principi, quando sanctionem aliquam, cernit obsolescere, & subditos aliò niti, ac posthabere datam legem, ut illam redintegret, & novâ publicatione suo vigori redhibeat, interpositis minis, transgressorem impostero non fore impunem. Ita Deus etiam hîc egit. Et pertinet huc sententia *Augustini*, quam in Psal. 57. scribit: *Data est lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, per legem ad te ipsum intro revocareris.* Cui consonat illud *Lutheri* T. 4. J. G. p. 527. & 533. Gott hat die Zehen Gebot/welche nichts anders sind denn das Gesetz der Natur/den Jûden gegeben zum Ueberfluß/ auff daß das natürliche Gesetz/das zuvor im Herzen ist/hiedurch erwecket werde.

VII. Promulgatus fuit Decalogus II. *ut esset velut glossa ac commentarius nativæ Legis.* Homo enim post lapsum per legem ferè id tantum censebat esse peccatum, quod externæ disciplinæ adversum erat, internas autem inclinationes pravas & cogitationes improbas extra peccati aleam sitas esse putabat. Hinc nata *Catonis* vox, quam refert *Gellius* lib. 7. Noct. c. 3. nempe *facta sola censenda atq; in judicium vocanda, sed voluntates nudas inanesq; neq; legibus, neq; pœnis fieri obnoxias.* Et eò quoque pertinet confessio *Pauli* nondum renati, Rom. 7. v. 7. ubi dicit, se ignorasse, concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, *Non concupisces.* Accessit ergò Decalogus, & exposuit legem naturæ, & docuit hominem, externâ disciplinâ legem DEI non exhaustam, sed requiri obedientiam imprimis internam, eamq; perfectâ, adeò ut oporteat diligere Deum ex toto corde, ex totâ mente, ex totis viribus, & proximum, ut seipsum, prout habet expositio legis, Deut. 6. v. 5. Sic porrò homo post lapsum per legem naturæ non habebat cognitum ordinem præceptorum, confusè item & indistinctè nôrat *ἡ δέουσα*, & in mente ferè tantum circumferebat *principia practica illa communia & indemonstrabilia*, nempe Deum esse colendum, honestè vivendum, neminem lædendum, quod tibi velis fieri, alteri faciendum; *conclusiones* autem, ex istis principiis

B

de-

*Facta promulgationis
Causa II.*

deductas, E. g. non occidendum, non mœchandum, non furandum, non ita exactè nôrat, vel non ita commodè illas in syllogismo practico cum suis principiis conjungere poterat. Unde etiam factum, ut sæpe quidam, & quandoque integri populi hîc enormiter, impegerint. Nam apud *Lacedæmonios* licuit furari & scortari, apud *Locrenses*, ut & apud *Germanos* nostros, referente id vel verè, vel per calumniam *Julio Cesare* l. 6. de Bell. Gall. atrociniã nullam habuerunt infamiam. *Homerus Autolycum* ob calliditatem in furando & pejerando prædicavit *Odyss. T.* Nempe ex confusa legis naturalis notitia homines isti eò tandem cœcitatilapsi sunt, ut *veritatē in injustitiã detinuerint*, verbo *Pauli Rom.* i. v. 18. Accessit ergò Decalogus & distinctè legem naturæ explicavit in duabus tabulis, hoc ordine, ut præcepta, quæ Deum concernunt, præcederent, & sequerentur ea, quæ proximum attinent, eoq; ordine commoneretur homo, officia primæ Tabulæ præpollere officiis secundæ. Distinctè etiam notavit principia & conclusiones per nomina virtutum ac vitiorum, quæ ipsa per gradus enumeravit, & omnes honestatis numeros eò reposuit. *Decalogus enim est absolutissima Ethica & brevi ambitu complectitur omnes universæ vitæ regulas.*

*Facta pro
mulgationis
causa III.*

VIII. Promulgatus fuit Decalogus III. *ut esset ceu basis ac fundamentum legum humanarum omnium.* Leges sanxerunt Ethnici plurimas, easdemq; ex fonte juris naturalis deduxerunt. Sed fons ille non semper ita puras egit aquas, interlabente scilicet mentis voluntatisq; *ἀταξία*, quæ Gentiles nonnunquam adeò pervertit, ut etiam *ἀταξίης* minusq; justas leges statuerint ac ratihabuerint. Accessit ergò Decalogus, præter cætera & eâ fini, ut Legislatores haberent Canonem præscriptum, ad quem leges suas justè componerent. Ex Decalogo enim justæ leges efflorescunt, & in Decalogo, tanquam in centro coeunt omnes, quotquot uspiam pii Magistratus condiderunt, leges. Ipse Deus, cum populum suum certis legibus formare decreverat, primò ordinabat Decalogum, ut palam faceret, *Decalogum esse matricem bonarum legum & debere supponi legibus, si quas dare vellet Magistratus.*

*Lex natura
& Decalogus
ut conveniunt.*

IX. Summa finaliter huc redit. *Lex natura & Decalogus conveniunt & differunt. Conveniunt 1. Efficiente generali. Nam utriusque autor Deus est. 2. Objecto, quod utrinque est bonum morale. 3. For-*

MA.

ma. Utrinqve enim honesta præcipiuntur ac turpia vetantur. *4. Pi. ant, & ut dif-*
ne, qui utrinque est DEI gloria, honestatis cultus, improbitatis fu- *ferant.*
ga. Differunt autem *1. Tempore.* Lex naturæ prior est, Decalogus po-
sterior. *2. Formâ externâ.* Lex naturæ non scripta, Decalogus manu
Dei scriptus fuit. *3. Subiecto:* Lex naturæ omnibus hominibus inno-
tuit, Decalogum autem soli Israelitæ audierunt promulgari. *4. Ad-*
junctis. Lex naturæ est quodammodo imperfectior. Informat enim
potissimum externam disciplinam, & occupatur maximè circa pri-
mam Tabulam. Decalogus autem interiores quoque cordis motus
dirigit, & utramque æqvè spectat Tabulam. Lex naturæ etiam est
quodammodo obscurior, & ferè quiescit in agnitione peccatorum
externorum. Decalogus autem ad ipsius prævæ concupiscentiæ a-
gnitionem deducit, Rom. 7. v. 7. Ita differunt, nempe *gradualiter* tan-
tum, & *non realiter.* Majus enim & minus non variant rem, non di-
versificant speciem.

X. Et hinc tandem dispalescit, Decalogum suâ canicie esse
venerandum, & meritò anteferri omnibus statutis hujus seculi, eò
quòd iis omnibus antiquior sit, & in ipsâ omnium primâ lege, lege
videlicet naturæ fundetur, & cum eadem origo sit legum bonarum
in mundo omnium. Tantum de primo.

CAPUT SECUNDUM.

DECALOGI SANCTITAS.

I. Sanctitas Decalogi imprimis pendet ab *Autore*, qui est Deus.
Ipse dum publicationem Decalogi parat, de se sic præfatur: *Ego sum*
Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terrâ Ægypti. Exod. 20. v. 2. *Exor-*
dium ferè est *curiale.* Sicut enim Principes, dum mandata edunt, sua
nomina suosque titulos præfigunt, & scribunt, Nos Dei gratiâ N.
Dux & Elector, &c. & ejusmodi præloquia eò tendunt, ut reveren-
tiam mandatorum obsequiumque in subditis excitent: Ita Deus ut
populum suum attentum & obsequibilem sibi faciat, nomina ma-
jestatis suæ præmittit, & dicit: *Ego sum Dominus.*

Autor Deca-
logi, Deus.

II. *Lutherus* in Colloq. c. 1. p. 5. verba hæc agnoscit esse quo-
dammodo imperscrutabilia. Sic enim ibidem loquitur: *Ich hab et-*
lich mal gedacht nachzutachten den Zehen Geboten / und wann ich nur

B. ij

ab

an dem ersten Wort hab angefangen / das also lautet: Ich bin der
Herr dein Gott / so bin ich schier in dem Wörtlein Ich blieben/
und kan das Ich noch nicht verstehen. Et T. 3. J. L. in com. ad cap. 10.
Deut. p. 108. *Non est solatio fecundior ac plenior audita vox, nec audien-
da unquam: rursus nec durior nec severior, quam vox illa: Ego sum Do-
minus Deus tuus.*

Qui hic desi-
gnatur

I.
à nomine
proprio.

III. Nobis in hac disputatione verba hæc designant *Conditorem Decalogi*, & quidem I. à nomine proprio. *Ego sum Dominus*, inquit *Legislator*. Fontes habent *τετεγραμματον יהוה* Et hoc est nomen Dei genuinum, secus ac volunt *Photiniani*, qui illud in sacris quandoque etiam rebus creatis tribui pugnant. *Judæi* de hoc nomine multa fabulantur, & dicunt esse *αὐθεντικόν*, nec illud legendo aut scribendo usurpant quadam religione, sed ubicunque in sacris occurrit, pro eo legunt *יהוה* aut quando *Adonai* præcedit vel sequitur, legunt *Elohim*, ne bis *Adonai*, quod turpe putant, dicere cogantur. Appellant etiam *יהוה שמ* nomen expositum. Rationem appellationis vide apud *Schindlerum* in Lexico ad radd. *יהוה שמ* & *שמ* & adde *Lutherum* T. 8. J. in lib. de *Schemhamphorasch* p. 119. & seqq. Communiter enunciatur *Jehova*. Sed propriam hanc esse pronunciationem, meritò dubitatur. Nam vel hæc una ratio contra militat, nempe si debita hæc esset pronuntiatio, tunc semper ita pronunciaretur. Sed non semper ita pronunciat. Nam quandoque vi substratorum punctorum pronunciat *Jehovi*, quæ ipsa sunt puncta nominis *Elohim*. Ergò ea pronuntiatio, quæ pronunciat *Jehova*, non est debita pronuntiatio, sed sunt puncta nominis *Adonai*, quæ dum *Tetragrammato* applicatur, eam, quam vulgus ex *Galatino* forsitan primò enunciare didicit, lectionem nobis pariunt. Quænam autem justa nominis istius sit pronuntiatio, hodiè ferè ignoratur, & ignorant ipsi *Judæi*. Vide *Capellum* in orat. de *Nomine tetragrammato*, *Arcano Punctationis revelato subnexâ*, Item *Fulle- rum* in *Miscell.* l. 2. c. 6. & *Sixtinum Amamam* in *Antibarbaro* l. 2. pag. 473. *Drusium* etiam ad loca *Exodi* c. 5. & 13. *Græci* interpretantur hoc nomen per vocem *κυριος*, & hos in suâ versione imitatur *Lutherus*, & reddit per vocem *Herr* / hancque suam versionem probat T. 3. J. G. in *Serm.* super locum *Jerem.* 23. v. 6. p. 469. his verbis:

Dies

Dieser Nam / Jehova, Herr / bedeut allein Gott / wie Er ist in seinem göttlichen Wesen. In unser Sprache können wir das Wort Herr nicht zwingen / daß es Gott allein heiße / denn wir heißen einen Fürsten Herr / einen Hausvater heißt man auch einen Herrn / daß wir aber **GOTT** auch einen Herrn nennen / das haben wir aus denen Evangelisten / die heißen ihn Dominum, Herr / denen folgen wir / lassens auch dabey bleiben. Proprie autem nomen descendit à rad. יהוה fuit, existit, ut יהוה nomen jam sit idem, quod *Ens & Essentia*, id est, qui reverà existit, & per quem facta sunt omnia, quæ sunt & existunt. Derivationem istam ostendit ipse Deus Exod. 3. v. 14. & Johannes in Apoc. c. 1. v. 4. significationem nominis sic exprimit: $\text{Τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος}$. Hic est ille Jehova, qui Decalogum suo populo proposuit.

IV. In verbis allegatis idem Decalogi Conditor porro designatur II. *ab officio consentaneo*. Ego sum Deus, inquit Dominus. In fontibus habetur יהוה Radix est יה , inde deducitur nomen יהוה quod est nomen singulare, de DEO enunciari solitum, cujus plurale est *Elohim*, nomen illud, quod itidem in Scripturis de DEO propriè accipitur, & quidem vel collectivè, ut omnes personas Deitatis significet, ut Gen. 1. v. 1. 5. vel distributivè, ut significet unam ex tribus personis Divinitatis, ut Psal. 45. v. 7. 8. &c. Photiniani, ut enervent argumentum, quod à nobis urgetur pro adstruendo mysterio pluralitatis personarum in divinis, thesin hanc invehunt, nempe nomen Elohim esse plurale tantùm terminationis, non autem significationis respectu, & quando verbum plurale adderetur huic nomini, volunt ipsi, esse locutionem honorariam, & innui pluralitatem non personarum, sed virtutum ac potentiarum in Deo, prout quando Princeps in plurali de se edicit: Nos mandamus, illud plurale indicium videretur esse multæ majestatis. Et hanc opinionem tuentur etiam alii, qui mysterium Trinitatis aliàs nobiscum confitentur, argumentum tamen pro eodem peti posse ex hoc nomine, purè negant. Vide Buxtorff. in Thesauro l. 2. c. 10. Rivetum exerc. 1. 2. & 101. in Gen. Bellarm. l. 2. de Christo c. 6. Drusium ad loca diff. Gen. c. 11. 93. Nos sequimur sententiam Lutheri, quam expressè ponit in

II.
Ab officio
consentaneo.
Nomen Elo-
him.

Comm. super c. 1. Gen. & cum eo statuimus, vocem Elohim non tantum terminatione, sed etiam significatione esse pluralem, & voce hac non quidem præcisè Trinitatem, sed tamen pluralitatem personarum in Divinis denotari, & quando verbum singulare huic voci plurali in sacris additur, tunc personarum pluralitatem in unâ divinâ essentiâ rectè ostendi. De cætero certum est, hoc nomine notari *attributa & officiales Dei virtutes*. Sicut enim nomen יהוה exprimit *essentiam Dei*, ita nomen יהוה est *notificativum vite divine*, & explicat nobis Deum, qualis sit in actu & officio erga creaturas, nempe Creator, Gubernator, Conservator omnium rerum, Judex & Vindex universorum, gratiam & auxilium diribens piis: justitiam & pœnam impiis. Quemadmodum Principes, & qui in Magistratu sunt, vocantur Elohim, ab officio scilicet, quia sunt Judices ac Domini eorum, quibus imperant: Ita Deus appellatur Elohim, ut intelligamus eum esse Judicem ac Imperatorem mundi. David Psal. 4. v. 1. significationem hanc nominis optimè expressit, quando dicit: *Deus justitia mea*. Nam utitur voce Elohim, & ita subinnuit, Deum dici Elohim propterea, quia est justus Judex, vindex justarum causarum. Confer huc *Dnusum* l. 1. quæst. Ebraic. c. 45.

III.
à fœdere
gratioso.

V. Decalogi Conditor in allegatis verbis designatur III. à fœdere gratioso. *Ego sum Deus tuus*, inquit Dominus. Pronomen, *Tuus*, habet respectum ad fœdus gratiæ, quo Deus populo suo peculiari-ter se devinxit. Omnium gentium Deus erat, sed populum Israeliticum singulariter sibi elegerat, ut esset populus עַמּוּת , in quo haberet suam Ecclesiâ, & ex quo aliquando Messias esset oriundus. Id eò אני יהוה dicit: *Ego sum Deus tuus*, id est, Te præ omnibus terræ populis eò dignitatis extuli, ut esses regale meum Sacerdotium, & eâ de causâ quoque jam ad te venio & aperio tibi legem meam, vi fœderis pertinet ad te $\text{אֲשֶׁר נָתַתִּי לְךָ בְּיַד מֹשֶׁה}$. Ita Deus explicitè loquitur cum populo Israelis. Implicitè autem sermonem etiam ad nos dirigit. Nos enim in Novo Testamento jam sumus ille populus, ad quem dicit Dominus: *Ego sum Deus tuus*. Nos quippe in exhibitio Filio gratos sibi fecit, ut *heredes* simus, non quidem amplius *pusilli*, ut Israelitæ olim erant, Gal. 4. v. 1. sed *emancipati* & in libertatem vindicati, adeoque fœderalem adoptionem Dei majore præ illis jure possideamus.

VL

VI. Decalogi Conditor in allegatis verbis designatur tandem à beneficio nupero. Ego sum, qui eduxi te è terrâ Aegypti, inquit Dominus. Velut gradatim adsurgunt hîc verba Domini. Nam primò

commendat suam ἀποδοσίαν, in voce יְיָ deinde suam ἐξουσίαν ἀποκρησικὴν, in voce יְיָ, tertio suā Φιλανθρωπίαν in pronomine, Tuus: deniq; quartò commendat hîc suam εὐεργεσίαν, & ostendit, se esse Deum beneficum, qui nuper hunc populum luculentis miraculis ex Aegypto deduxerit, & vult, ut populus hujus beneficii perpetuò recordetur. Iterum videtur loqui tantum cum hoc populo, sed in typo etiam nobiscum loquitur. Eductio enim populi Israelitici ex Aegypto typus erat educationis illius magnæ, quam Filius Dei præstitit, liberando nos à potestate tenebrarum & morte æternâ. Ideò titulum hunc Dei nos ita nobis applicamus, quasi ipse dixisset: *Ego sum, qui te eduxi è servitute peccati & Diaboli.*

VII. Atque inde jam fit manifestum, verba hæc omnia, quæ directè Israelitas respiciebant, suo sensu quoque ad nos pertinere, & ut sint legalia & præludant Decalogo jam promulgando, admixtum tamen habere plurimum medullæ Evangelicæ, vocemq; Mediatoris in medio procellarum ac tonitruum legalium strepitu à fidelibus auribus fuisse subauditam. Verè enim sunt verba Evangelica, quando dicit Dominus: *Ego sum Deus tuus, qui eduxi te.*

VIII. Omnia eò tendunt, ut Israelitæ & nos post illos commonefiamus de autore Decalogi, & inde discamus statuerè, quàm sancta Lex sit Decalogus. Quicquid enim proficiscitur à Deo, Ente primo, summo, æternò, & à Domino omnipotente ac optimo, illud sanctissimum sit oportet. Sed Decalogus à tali ac tanto proficiscitur. Ergò. *Ethnici*, ut sanctitatem suis legibus conciliarent, Numina confinxerunt, ex quorum suggestionè Legislatores sua statuta hauserint. Ita *Numa Pompilius* suas ab Aegeria Nymphâ leges accepisse perhibuit. Sed Decalogus prodiit non à ficto quodam Numine, sed à Deo vero, à Deo, inquam, non à quâdam creaturâ. Ergò meritò habetur pro lege omnium sanctissimâ: Et blasphemii fuerunt *Manichæi*, qui quondam legem hanc Deo alicui malo acceptam retulerunt, quibus respondit *Epiphanius* in Panacio l. 2. T. 2. hæresi 66.

IX. Consequenter hîc quoque implicatur argumentum persuasionis ad obedientiam. Si enim Deus dedit Decalogum, is nempe

Deus,

Deus, qui est Deus tuus & Deus bonus ac beneficus, merito hinc unumquemque decet exstimulari, ut tanti Domini legem dignè habeat, & justo obsequio prosequatur, Sed & de hoc satis.

CAPUT TERTIUM.

DECALOGI UNIVERSALITAS.

I. Decalogum à Deo acceperunt Israelitæ. Sic autem acceperunt, non ut iis solis inserviret, sed ut usu suo simul se exporrigeret ad omnes omnium temporum homines, quos quidem populus Israeliticus tunc repræsentavit.

*Decalogus
quâ ratione
ad omnes ho-
mines perti-
neat.*

II. Notetur igitur initiò, *Decalogum* considerari, vel ut est *ordinatio Mosaica*, vel ut est *compendium juris naturalis*. Illo respectu pertinet tantum ad Israelitas. Lex enim, quibus fertur, ad eos quoque tantum pertinet. Sed lex Decalogi lata fuit Israelitis. Ergò ad hos quoque tantum pertinuit. Hoc verò respectu Decalogus pro objecto habet omnes homines. Omnes enim homines sunt juris naturalis debitores.

I.
*Antithesis
Antinomo-
rum.*

III. *Antinomi* hinc impingunt ex UNA PARTE. Hi enim Decalogum faciunt particularem, & ab eo Christianos eximunt. Articulos eorum de hoc puncto consignat *Lutherus* T. I. J. L. p. 554. & sic habent: *Lex non est digna, ut vocetur verbum DEI. Bist du eine Zure/Bub/ Eheblicher/ oder sonst ein Sünder/ und gläubest nur/ so bist du im Wege der Seligkeit. Wenn du mitten in der Sünde steckest auffss höchste/ gläubst du/ so bist du mitten in der Seligkeit. Decalogus gehört auffss Rathshaus nicht auff den Predigstuel/ Alle/ die mit Mose umgehen/ müssen zum Teuffel fahren/ An Galgen mit Mose/ Alsbald du gedenckest/ so und so solt es in der Christenheit zugehen/ es solten feine erbare/ züchtige/ heilige/ keusche Leute seyn/ so hast du des Evangelii schon gefehlet. Pœnitentia docenda est non ex Decalogo, aut ulla lege Mosis, sed ex violatione Filii per Evangelium.*

*Antinomi
primi qui?*

IV. Errorem hunc circa annum Christi 1538. Ecclesiæ primus obtrusit *M. Johannes Agricola*, patriâ Islebiensis, unde postea *Islebius* dici meruit: homo versipellis & improbi animi, qui antè interfue-
rat

rat comitiis Augustanis, & unâ cum *Philippo, Justo Jona & Brentio* Confessionem Imperatori exhibuerat, & post, nempe Anno 1548. cum *Julio Pflugio & Michaelē Sidonio* libellum Interimisticum compilavit. Collegam erroris habuit *D. Jacobum Schenckium*, Ecclesiam aulicam Electoris Johannis Friderici, quem *Lutherus Doctor Jecfelen/Islebius* autem, *Magister Griceln*/eorundemque dogma *Geckismum*, per jocosam nominum allusionem appellare solebat.

V. Lapsi sunt eò *Tum* ex vanâ ambitione. Malè enim eos habuit, solis Witebergensibus deferri laudem factæ Reformationis: Ipsi contrâ voluerunt videri, quasi puriorem doctrinam proponerent, ut hâc ratione Witebergensium existimationem deprimerent, & se, ceu puri Evangelii autores undiqvaque constituerent. Inde *Schenckius* sæpe in ore habebat hanc superbam vocem: *Ich hab auch ein Kopff*. Et *Islebius*, quando Witebergensium honorificam alicubi mentionem fieri audivit, respondere solebat: *Est humanus dies, Ego perumpam*, referente id *Luthero* T. 7. J. G. im Buch von *M. Eislebens falscher Lehre*/p. 300. & in Coll. c. 32. p. 317. *Tum* ex falso intellectu doctrinæ de abrogatione Legis. Hoc enim fuit ipsorum *πεῖραι τοῦ ψεύδους*, quòd docuerunt, Legem Mosis in Novo Testamento planè esse abolitam, & nos esse Christianos, & propterea legi Mosis non adstringendos: & eò retulerunt dicta Salvatoris, Matth. II. v. 13. *Lex & Prophetæ prophetarunt usq; ad Johannem*; & Pauli 1. Tim. I. v. 9. *Iusto non est lex posita*.

VI. Sed improba est adfertio, quæ totum Mosen audet repudiare. In Mose enim habemus promissiones de Christo & complures typos, exempla item & historias judiciorum divinorum, virtutumque ac vitiorum, quæ sanè omnia & ad nos in Novo Testamento pertinent. Nam *quæcumq; olim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, ait Apostolus Rom. 15. v. 4. *Præcepta* verò, quæ Moses tradidit, ita differunt, ut alia dicantur *moralia*, alia *ceremonialia*, alia *forensia*. De Ceremonialibus & Forensibus certum est, illa nobis abrogata esse. Unicè enim Judæis ista erant nuncupata, & durare debuerunt usque ad tempora Messiae exhibiti, Ebr. 9. v. 10. Gen. 49. v. 10. Magistratui quidem Christiano liberum esset, si Forenses quasdam Mosis constitutiones deligeret, & suæ Reipubl. applicaret, & *Lutherus* optat ac svadet, tale quid tentari à piis Magistratibus. Sic enim

Seçta hujus principia.

Responsio opinionioni Antinomorum opposita.

Præcepta ceremonialia & forensia in Mose an omnia sint abrogata?

C

scri-

scribit T. 3. J. L. in præfat. ad libros V. Testamenti, p. 73. *Multa sunt in Mosaicis legibus optimè constituta, quæ prodesse imitari etiam alias politias.* Et ibidem in comm. ad c. 15. Deut. p. 117. probat legem Mosis de anno remissionis & commendat illam orbis Rectoribus. In libro etiam contra cœlestes Prophetas T. 3. J. G. p. 50. & ibidem in *Vnerricht/wie man Moses Bücher lesen soll.* p. 178. similia tradit, & inter cætera sic differit: *Ich wolt/das man etliche Gesetz in weltlichen Sachen aus Mose nehme/als das Gesetz vom Scheidebrieff/vom Halljahr/vom Freyjahr/vom Zehenden und dergleichen/durch welche Gesetz die Welt baß würde regirt werden/den itz mit den Zinsen/verkauffen und andern.* Eadem habet T. 5. J. in comm. supra Psal. 117. pag. 130. Sed quia vivimus sub Romano Imperio, leges Judaicas, ne videamur judaizare, merito relinquimus, & assumimus Romanas, exemplo *Pauli*, qui Actor. 22. v. 25. provocavit ad leges Romanas, & eo ipso Mosaicis docuit abolitas. Quo pertinet etiam consilium *Lutheri* super quæstione, *an secundum Mosen, an secundum jus imperiale judicare oporteat?* quod existat T. 2. J. G. p. 469.

Præcepta moralia in Mose an & quâ ratione possint dici abrogata?

VII. *Præcepta autem moralia*, quæ sunt ipsa præcepta Decalogi, nullo modo sunt abrogata. Continent enim æternam ac immotam sapientiam ac regulam justitiæ in Deo. Communiter hoc loco ita docetur, quod *lex moralis*, quæ quidem respectu obedientiæ obligaret omnes homines, *abrogata* tamen sit per Christum *Tum quoad justificationem.* *Non enim est data lex, quæ posset vivificare*, Gal. 3. v. 2. *Tum quoad maledictionem.* *Nulla enim est condemnatio his, qui sunt in Christo Jesu*, Rom. 8. v. 1. *Tum quoad rigorosam exactionem.* Opera enim renatorum Deo placent, etiam si exactissimo legis rigori non satisfaciant, & hinc ii, *qui Spiritu DEI ducuntur, non sunt sub lege*, Gal. 5. v. 18. Et hæc satis rectè dicuntur. Sed propriè loquendo abrogatio hæc non tam legi competit, quàm circumstantiæ legis, & est intelligenda respectu hominis, erga quem lex, propter incurrens impedimentum, efficaciam suam exserere non potest. Distingvimus enim hîc inter *legem spectatam actu primo & actu secundo.* *Actu primo* lex in se semper obtinet vim justificandi, vim maledicendi, vim rigorosè exigendi: & eo modo non potest dici abrogata. *Actu autem secundo* vim justificandi exercere nequit in homine corrupto, quia

per

per carnem infirmatur, Rom. 8. v. 3. neque vim maledicendi & rigide exigendi in homine justificato, quia fides Salvatoris intervenit, quæ legis maledictionem & rigorem nunquam admittit. Et eo modo legis vis perpetua in hoc vel illo objecto tantum impeditur seu suspenditur.

VIII. Manet igitur, *Decalogum non esse abrogatum*. Et huc referimus doctrinam de *Uso Decalogi*, quem Theologi faciunt triplicem, seu *Decalogi*. *Politicum* nempe, qui spectat contumaces & obstinatos, ut coerceantur, ne in manifesta scelera prorumpant, sed in externo obsequio contineantur; *Pædagogicum*, qui spectat justificandos, ut quando Decalogus urget suum ἀνεξουσίαν, & requirit obedientiam plenissimam, nec illam in homine invenit, & propterea hominem accusat, terret, damnat, ipse sic oblique deducatur ad Christum, Mediatorem videlicet, qui legem ex asse implevit, & omne illius maledictum à nobis abstulit; & *Didacticum*, qui spectat justificatos, ut habeant normam, quam in studio bonorum operum sequantur. Hunc usum habuit Decalogus non solum apud Judæos sub Mose, verum etiam eundem adhuc habet apud Christianos in Novo Testamento. Et inde consequitur, *Decalogum valere antè & retrò*, id est, pertinere non ad Judæos tantum, sed etiam ad Christianos, contra *Antinomos*, qui id negarunt, quibus jam opponimus hoc generale argumentum: Quicquid à Deo solenniter promulgatum, à Prophetis & Apostolis & Christo ipso repetitum ac expositum, & cujus tractatio utilis ac necessaria est, illud etiam ad Christianos pertinet & propterea è circo Ecclesiæ Novi Testamenti nullatenus proscribendum est. Sed Decalogus 1. à Deo solenniter promulgatus, Exod. 20. repetitus 2. à Prophetis, qui legem in scriptis suis hinc inde tradiderunt & explicarunt, ab Apostolis, qui docuerunt, *legem à se non destrui, sed stabiliri*, Rom. 3. v. 30. à Christo ipso, qui dixit, *se venisse, non ut solveret legem, sed ut impleret*, Matth. 5. v. 17. usum quoque triplicem habet insignem, & est *carcer improborum, pædagogus justificandorum, bodegus renatorum*, uti dictum est. Ergò Decalogus etiam ad Christianos pertinet, & propterea è circo Ecclesiæ Novi T. nullatenus proscribendus est.

IX. Causam Adversariorum non juvant loca adducta. Sunt *Locus Matt.*
ἀπεργασθῆναι. Matth. 11. v. 13. vox *ἠγγέλλειν* statim arguit, legem *11. v. 13.*

ibi non intelligendam esse de lege Decalogi, sed de lege in primis ceremoniali. Hæc enim fuit lex prophetica: Ceremoniæ nempe & sacrificia respexerunt futurum Messiam, qui cum jam adesset, desierunt ista prophetare. Rerum namque præsentium non datur prophetia. Velut cum rex in urbem venit, non amplius opus est præconibus, ejus adventum prænunciantibus, quemodo Epiphanius hunc locum illustrat in Panario hæresi. 66. contra Manichæos. Paulus autem quando 1. Tim. 1. v. 9. dicit, *Justo non est lex posita*, loquitur de lege spectatâ in actu secundo, id est, de lege damnante & rigorosè obedientiam exigente. Taliter affecta lex non est posita justis, & *κείραι*, non premit justos damnando, accusando, serviliter urgendo. Pertinet autem nihilominus ad eos ut norma, dirigendo vitam. Pertinet igitur ad justos, seu ad Christianos suo modo, quem quia Adversarii ignorant, ideò incogitanter hoc loco ad statuminandam suam thesin abutuntur. Confer super hoc dictum Lutherum T. 2. J. G. p. 485.

Locus 1. Tim.
1, v. 9.

Error Antinomorum
qualis ac
quantus?

X. Perniciosissimus error fuit Antinomorum. Nam si Decalogum negaveris pertinere ad Christianos, negabis unâ, agnitionem peccati homini justificando esse necessariam. Agnitio enim peccati unicè ex Decalogo dimanat. Indè porro negabis remissionem peccati. Peccatum enim non agnitum non remittitur. Inde consequenter negabis gratiam, Deum & Christum. Ubi enim peccatum non remittitur, ibi gratia, Deus & Christus non profunt. Lutherus in Colloq. c. 32. p. 319. de errore hoc sic disseruit: Wenn man das Gesetz aus der Kirche wird auff's Rathhaus bringen / und wird vorgeben / es gehöre nicht für die Christen / so wird das folgen / daß darnach die Obrigkeit wird sagen / wir sind traun auch Christen. Darumb gehet das Gesetz uns nicht an. Desgleichen wird der Zentner / als ein Christ / das Gesetz auch verwerffen / da wird denn eitel süsse Gnade / das ist / ein grosser unendlicher Mutwill und Büberey folgen / dem nicht wird können gesteuert werden. Et hunc seditiosum spiritum odorabatur Albertus Comes Mansfeldiæ, qui propterea in literis ad Lutherum suam de Antinomis sententiam his verbis exprimebat: Es steckt ein Münzer dahinden / recensente id Lutherum in Colloq. c. 11. p. 130. qui & ipse de iisdem T. 7. J. in lib. de Conciliis p. 253. sic judicat & inquit: Antinomer sind gute Osterpre-

die

*diget / aber böse Pfingstprediger / id est, gratiam Evangelii in Christo partam commendant, & novitatem vitæ, per Spiritum S. in Decalogo postulatam relinquunt, plenisqve velis Epicureismum, invehunt, & utut hujus criminis nolint esse rei, & pœnitentiam se docere statuant ex violatione Filii per Evangelium, tamen hæc ipsa assertio auget errorem, dum nimirum formam Evangelii sic ever- tunt, & Evangelio transcribunt, quod propriè est legis seu Decalo- gi. Refer huc disputationes sex Lutheri contra Antinomos, quæ le- guntur T. I. J. L. p. 554. & seqq. Nos tandem concludimus, Decalogum esse *peculium Ecclesiæ*, & Antinomos istius ex Ecclesiâ remotionem pessimo conatu tentasse.*

XI. EX ALTERA postmodum PARTE hîc deviant *Reforma- ti* nonnulli. Hi enim docent, Decalogum, prout à Mose conscriptus fuit, in formalibus purè retinendum, nec unum apicem inibi esse, mutandum, ex hoc quidem fundamento, quia quisquis hîc quid vel mutaverit vel omiserit, ille reus fieret dicti, Deut. 4. v. 2. *Ne addite ad verbum, quod præcipio vobis, neq; detrahite de eo.* Videatur corpus doctrinæ *Ursini*, à Pareo editum, quæst. 92. & Catechesis Palatina, part. 3. p. 74. & seqq. ubi Decalogus refertur, & institutionibus Cate- cheticis additur eo modo, quo Moses eundem in Exodo retulit.

XII. Nos contra dicimus, sapientiam hanc esse superstitiosam, quâ & ipsâ isti homines ἀπαίδευσις & absurditatis nodo se im- plicant. Quomodo enim conveniret, si jam nos in Novo Testamen- to ex Decalogo Mosaico diceremus: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto?* Nam neque nos, neque Patres nostri unquam in Ægypto servierunt. Sic inconvenienter recitaretur à nobis quar- tum præceptum: *Honora patrem & matrem, ut diu vivas in terrâ, quam Deus dat tibi.* Nos enim cum Israelitis non fuimus in deserto, nec cum iisdem ad terram promissam, quam Moses in isto præce- pto intendit, iter fecimus. Eodem pertinet & tertium præceptum. Nam id Moses ita concepit, ut suo populo inprimis applicaret, cui voluit certo consilio multis verbis exponere morale istius præcepti, quod jam à nobis paucis verbis exprimitur. Nos ludit præceptum nonum simul ac decimum. Utrumqve enim statui Judæorum fuis- se conformatum, docet *Lutherus* in Catechismo majori.

XIII. *Lutherus* ergò non est incusandus erroris, dum è Decalo-

go expunxit eas particulas, quæ propriè ad Israelitas pertinuerunt. Nam talem Decalogum nobis voluit exhibere, qui omnibus hominibus esset communis. Et habuit in hoc passu præeuntem *Paulum*, qui Eph. 6. v. 2. 3. promissionem præcepti quarti, non ut Moses, verbis specificis, sed generalibus enunciavit. Imò secutus in hac re fuit voluntatem Dei, Ille enim per Jeremiam c. 23. v. 7. clarè designavit, titulum suum, quem Judæi hactenus usurparint, in Novo Testamento abolitum iri, & nolle se tunc denominari à beneficio educationis ex Ægypto, sed à beneficio salutis per Messiam partæ. *Lutherus* igitur vaticinium istud respexit, dum titulum illum à suo Decalogo removit, atque ita rectè fecit.

*Decalogus
simplex &
Modificatus,*

XIV. Tempora Decalogi nos ita distingvimus, ut dicamus, Israelitas habuisse *Decalogum modificatum*, nos autem jam habere *simplicem*. Et *simplicem* vocamus eum, qui purum *morale* seu *genus* continet, præcepta nempe communiter omnes homines obligantia. *Modificatum* autem appellamus eum, qui *morale* seu *genus* convellit *specie*, seu *velo Mosaico*, & uni alterivè præcepto addit talem circumstantiam, quâ illud postmodum ad Politiam Judaicam restringitur, & populo Israelitico ferè appropriatur. *B. Chemnitius* parte 2. LL. Loco de Lege, additamenta illa vocat *Involucra Mosaica*, ex *Luthero*, qui appellat *ornatum*, *den Schmuck / und Zusatz der Zehen Geboten / T. 7. J.* in Epistola contra Sabbatarios in Moraviâ, p. 40. 41.

Dictum Deuter. 4. v. 2.

XV. Et hinc tandem concluditur, Decalogum ita ad omnes homines pertinere, ut prius ab eo separandæ sint *quædam Mosaica*. Nam illæ nobis sunt inutiles. Et ab Adversariis *ἀτόπως* huc allegatur *Dictum Deuteronomii*. Id enim loquitur de *detractione* non *officiosa*, sed *dolosa*. Quando dolosè & cum jactura veritatis castraretur à nobis Decalogus, tunc commodè dictum istud nobis obverti posset. Nunc verò urgemur necessitate quadam & *officio statûs*, ut Decalogo eximamus ea, quæ nostræ conditioni non congruunt. Ergò malè illa Scriptura nobis opponitur: & optaremus, ut Adversarii, quemadmodum in hoc negotio frustrà & infestiviter sunt tenaces literæ, ita alibi, ubi nempe veritas exposcit, & imprimis in Articulo de Cœnâ, tales se præstarent. Nam in illo loco literam fatis liberè deserunt.

XVI

XVI. Cæterùm stante jam hac thesi, nempe Decalogum obligare omnes cujuscunqve loci, temporis ac conditionis homines, emergit nobilis hæc *qvæstio*, *An etiam, & à quo illa obligatio rolli, id est, An contra an de uno ac altero præcepto Decalogi possit dispensari?* Ad hanc *qvæstionem* responsuri, primò notari volumus *vocem Dispensationis*. *Dispensare* propriè est removere obligationem legis ab aliquo, in casu, quo alioquin obligaretur. Deinde dicimus, *dispensationem* institui *vel ab Homine, vel à Deo*: & addimus tertio, *ab Homine* circa præcepta Decalogi nullo modo dispensari posse. Ejus enim est dispensare seu removere obligationem legis, cujus est ferre. Sed Decalogum homo non tulit. Ergò nec homo circa illius præcepta dispensare potest. Prodigiôsæ ergò & Antichristo dignæ voces sunt, quando *Glossator* dist. 34. ad Can. Lector. sic erumpit: *Papa dispensat contra Apostolum*. *Apostoli* enim in dogmaticis sunt *fundamenta Ecclesiæ*, Ephes. 2. v. 20. Quisquis ergò contra eosdem dispensare præsumit, contra fidem & Ecclesiam, consequenter & contra bonos mores dispensasse dicendus est: id quod sine impietate tentari non potest. Admitti etiam nequit, quod *Gratianus* ex Concilio Toletano & Gregorio dist. 13. c. 1. & 2. statuit, nempe *adversus jus naturale dispensare posse hominem tunc, cum duo fortè mala ita urgeant, ut alterum eorum necesse sit eligi: dum mens inter minora & maxima peccata constringitur, si omninò nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur*, ut habent verba, ibi, §. Est tamen c. 2. Non, inquam, admittimus hanc sanctionem, sub quocunqve etiam titulo venditetur. Quemadmodum enim *non sunt facienda mala, ut eventiant bona*, secundùm regulam Pauli Rom. 3. v. 8. Ita nec ab homine dispensari potest in peccatis minimis, ut evitentur majora: Siquidem Christianæ pietatis est, ut non solum majora, verùm etiam minora peccata fugiantur. Alibi, nempe C. sunt quidam, *Causa 25. qvæst. 1.* allegat *Gratianus* hæc verba Urbani Papæ: *Ubi apertè Dominus vel ejus Apostoli, & eos sequentes, sancti Patres sententialiter aliquid definirunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs, quod prædicatum est, usq; ad animam & sanguinem confirmare debet*. Hic Canon, quomodo cum antecedente conveniat, viderit *Gratianus* ipse.

An contra præcepta Decalogi possit dispensari?
Et quidem
1.
Ab Homine?

XVII. Potrò de DEO quando qværitur, *an ab eodem de præcepto aliquo Decalogi dispensari, id est, an salva justitia divina, seu sine con-*

tra- A DEO?

traditione dici queat, per singularem Dei indulgentiam ab obligatione unius & alterius præcepti quæpiam liberari, ita ut in certo casu id, quod alios obligat, hunc & istum non obstringat? De hac quæstione *Scholastici* non conveniunt, & referuntur eorum opiniones apud *Gregorium de Valentia* T. 2. Disp. 7. quæst. 4. punct. 6. Et quia Scriptura proponit *exemplum Abrahami*, filium suum jussu Dei occidere parantis, Gen. 22. v. 2. & *populi Israelitici*, vasa Ægyptiorum commodata, statuentem DEO, auferentis, Exodi II. v. 2. & illud parricidium, hoc verò furtum esse videatur, utiqve existimari posset, præcepta Decalogi ex parte Dei esse dispensabilia.

XIIX. Sed nos cum *Gregorio de Valentia* sentimus, eaq; est communis Doctorum Sententia, nempe *Deum præcepta Decalogi relaxare non posse*. Sic enim argumentamur: Quodcumque DEUS jussit fieri simpliciter & perpetuò, in eo non potest ita dispensare, ut iisdem circumstantiis postmodum non fiat. *Non enim Deus est quasi homo, ut mentiatur, aut filius hominis, ut mutetur*, ut exstat Num. 23. v. 19. multò minùs *negare se ipsum potest*, ut ait Paulus 2. Tim. 2. v. 13. Sed præcepta Decalogi Deus jussit fieri simpliciter & perpetuò. Ergò non potest in illis ita dispensare, ut iisdem circumstantiis postmodum non fiant. Adjicimus rationem aliam: Si Deus dispensaret in præceptis Decalogi, tunc contra justitiam suam ageret & approbaret peccata. Sed consequens est absurdum. *Peccare enim & peccata approbare est unum de absolutè Deo impossibilibus*. Ergò & antecedens.

Vox Dispensationis accipitur vel propriè.

vel impropriè.

Exemplum Abrahæ, si-

XIX. Quid autem respondebimus ad exempla adducta? Dicimus, *dispensationem formaliter* ibi locum non habere. Sic enim nos explicamus, & dicimus, *vocem dispensationis accipi vel propriè, vel impropriè*. *Propriè* & formaliter accepta dispensatio est ea, quæ permittit & approbat actum, qui adæquatè & secundum omnes conditiones suas est contra legem. Et hoc modo Deus in nullo exemplo dispensavit, imò nec dispensare potuit. Nam jussisset id, quod contra justitiam & contra naturalem æquitatem fuisset. *Impropriè* autem accepta dispensatio est ea, quæ permittit & approbat actum, qui legi quidem *quoad materiale* videtur contrarius, non tamen est, si singulæ conditiones ac circumstantiæ attendantur. Et hac ratione conceditur, Deum dispensasse in exemplis memoratis. Nam in priore DEUS, qui est autor vitæ & mortis, & propter peccata tam piis,

piis, quàm impiis poenam mortis justè, cum vult & per quem vult, *lium occide-*
infligit, Abrahamo fecit potestatem occidendi filium. Si igitur *reparantis,*
Abraham tunc occidisset Filium, fuisset id *homicidium* duntaxat
materialiter. Fecisset enim autoritate DEI, qui ex certâ causâ jam
nolebat esse homicidium, quod alioquin fuisset homicidium, si ab
alio fuisset perpetratum. In posteriore D E U S, in cujus manu est *Exemplum*
transferre Dominia rerum à quo, in quem vult, concessit Israelitis *Israëliitarum*
vasa Ægyptiorum. Ineptè igitur *Manichæi*, recitante id *Epiphanio* in *vasa Ægyptia*
hæresi 66. hoc, ut ipsis videbatur, furtum retulerunt acceptum, *auferentium*
Deo, quem finxerunt, malo, quasi Deo bono non conveniret jubere
furta. Non enim hoc furtum fuit *formaliter*, sed *apparenter*: nempe
quia Deus intercessit, qui res Ægyptiorum Israelitis donavit, & du-
ras operas, quas tot annis in Ægypto *duxerant* præstiterant, sic resar-
cire voluit. Et ita patet, utrobique non nisi impropriè DEUM
dispensasse.

XX. Hûc referimus etiam *Polygamiam Patriarcharum.* In sex- *Polygamia*
to Decalogi præcepto fundata est prima illa lex matrimonii, quâ *Patrum.*
duo jubentur esse *in carne unâ*, Genes. 2. v. 24. Sed D E U S intuitu
promissionis, quâ dixerat, semen Abrahamæ insigniter multiplicatum
iri, Patribus licentiam fecit, ut plures uxores ducerent. *Formaliter*
ergò *non fuit adulterium*, quando Patres aliquot uxores simul sibi
conjunxerunt. D E U S enim propter illam circumstantiam eos-
dem ab obligatione primæ legis exemit, atque sic impropriè circa
legem dispensavit. Vide *Lutherum* in comm. ad c. 16. Gen. & adde
Rivetum exerc. 45. in Genesin, & *Gregorium de Valentia* T. 4. disp. 10.
quæst. 1. punct. 3.

XXI. *Præcepta* igitur *Decalogi*, ut tandem concludamus, in se *Conclusio ca-*
& propriè sunt *irrelaxabilia*, & consequenter *obligatoria omnium ho-*
minum. Et hæc est thesis nostra, quam finaliter unâ volumus obser-
vari contra *Pontificios*, nos insimulantes, quasi libertatem Christia-
nam constitueremus in omnimodâ à Decalogo immunitate. Eam *Pontificiorum*
enim sententiam nobis affingit *Bellarminus* lib. 4. de Justificatione *calumnia*
cap. 5. quando scribit: *Lutherani in eo ponunt libertatem Christianam,* *hinc patescit.*
ut nulli legi subiecti sint in conscientia & coram Deo, & Christum habeant
pro Redemptore, non pro Legislatore, Moses autem cum suo Decalogo ni-
hil ad eos pertineat. Mentiri hîc *Bellarminum* cum asseclis, manife-
stum

rum est ex dictis. Si enim asserimus, omnes homines, omnesque Christianos constringi lege Decalogi, mendacium utique est, quod incusamur, quasi asseramus, nullum Christianum Decalogo esse obnoxium.

CAPUT QUARTUM.

DISPOSITIONIS IN DECALOGO CONCINNITAS.

Quot præcepta prima, quot item secunda Tabula vindicanda?

Proæmium Decalogi an pro præcepto habendum?

Opinio Reformatorum.

Sententia nostrarum Ecclesiarum. Præceptum de Sculptilibus appendix primi præcepti.

I. Communiter Decalogus dirimitur in duas tabulas, ex Exodo cap. 31. v. 18. Cum autem Decalogus decem præcepta comprehendat, quæsitum inde dudum fuit, quot præcepta primæ, quot item secundæ Tabula vindicanda sint? Et hinc quidem Autores in diversas abierunt opiniones, prout eæ referuntur à *Frantzio* T. 2. Disp. Witeberg. disp. 5. Alii enim primæ Tabulæ quinque, alii, quatuor, alii, tria assignarunt præcepta. Alii pro præcepto allegarunt proæmium Decalogi: *Ego sum Dominus Deus tuus*, & voluerunt his verbis exprimi præceptum primum: non sanè congruenter. De præcepti enim ratione est, ut ordinet aliquid vel faciendum vel omittendum. Illa autem verba nihil jubent. Ergò pro præcepto haberi nequeunt. Alii præceptum de sculptilibus distinxerunt à præcepto de habendis diis alienis, atque sic primæ tabulæ quatuor præcepta adscripserunt, & postmodum, ut Decalogo denarius numerus constaret, utrumque de non concupiscendo præceptum compegerunt in unum. Et hanc opinionem nostro suam fecerunt *Reformati*, eamque acriter tuentur.

II. In nostris Ecclesiis recepta est hæc distinctio, ut primæ tabulæ attribuamus præcepta priora tria, & secundæ, reliqua septem. Præceptum enim de sculptilibus, quod *Calviniani* primæ tabulæ inferciunt, subordinamus nos præcepto primo, & dicimus, esse appendix primi præcepti, nec concedimus, sensu præcepta hæc differre. Sic enim argumentamur: Omnis idololatria pertinet ad primum præceptum. Adoratio sculptilium est idololatria. Ergò adoratio sculptilium pertinet ad primum præceptum, & per consequens, verba de sculptilibus non adorandis sunt declaratoria primi præcepti,

cepti, & ab eodem propterea nequaquam avellenda. Addimus
& hanc rationem: Quicquid est Deus alienus, id prohibetur pri-
mo præcepto. Sed imagines & idola, quæ ad cultum prostant,
sunt dii alieni, Scripturâ interprete, Gen. 31. v. 19. 30. cap. 35. v. 2. 4.
Deuter. 28. v. 36. Ergo ejusmodi imagines prohibentur præcepto
primo, & per consequens verba illa: *Non facies tibi sculptile, non
soles, nec adorabis ea*, peculiare præceptum non constituunt.

III. Utrumque autem *de non concupiscendo præceptum* nos
non habemus pro uno, sed agnoscimus, esse duo distincta præce-
pta. Quicquid enim Deus ipse disjuxit, id etiam à nobis dis-
jungi debet. Sed præcepta de non concupiscendo Deus ipse dis-
juxit, nempe Exodi 20. v. 17. ubi D E U S præcepta de non concu-
piscendo distinctim enunciavit, & verbum prohibitionis non se-
mel posuit, sed bis, inqviens: *Non concupisces proximi domum, Non
concupisces proximi uxorem*; Id quod est indicium non unius, sed
duorum diversorum præceptorum. Ergo & ea præcepta à nobis
disjungi debent. *Ursinus* in Catechesi quæst. 93. nobis hîc op-
ponit argumentum grammaticum, & ex eo, quod præceptum de
concupiscentiâ domus & uxoris à Mose includantur uni versu-
culo, concludit, & idem debere reputari pro uno præcepto. Col-
lectio ejus sic habet: *Quæcumq; præcepta Moses distinxit periodis, ea
haud dubiè sunt diversa, & contra quæ comprehendit uno versu, ea di-
versa esse nequeunt. Sed præceptum de non habendis diis alienis & de
Sculptilibus Moses distinxit periodis, & contra præceptum de concupi-
scentiâ domus & uxoris comprehendit uno versu. Ergo illa sunt diversa
præcepta, & hoc est unum præceptum.* Major autem in hac colle-
ctione non est ἀνένταλον. Potest enim infirmari ex ipso, quod
Ursinus pro se adducit, Exodi capite, & contra eundem *di aduvaris*
sic procedi: Exodi 20. v. 4. dicitur: *Non facies tibi sculptile &c. & v.
5. Non incurvabis te eis &c.* Hæc verba continentur duabus distin-
ctis periodis. Ergo & continebunt duo distincta præcepta. Ita
v. 8. dicitur: *Recordare diei Sabbati &c. & v. 9. Sex diebus operaberis
&c.* Hæc verba itidem distinguuntur duobus versibus. Ergo &
exhibebunt duo diversa præcepta. Sic tandem ex hypothese *Ursi-
ni* præcepta Decalogi multiplicabuntur, & ultra numerum de-
narium consurgent. Sed hoc non convenit, nec *Ursinus* patie-

*Præceptum
de non concu-
piscendo est
duplex.*

*Argumen-
tum Ursini
grammaticum.*

eur sibi imponi hoc de multiplicato Decalogo ἑγκλημα. Relin-
quat igitur eam de periodis assertionem, undè sanè tale quid
contra eum potest colligi. Et dubitatur quoque adhuc de *periodis*

Periodi ac ac versiculis Bibliorum, an à Mose, an à Masorethis ortum trahant?
Versus biblici Buxdorffius in Tiberiade l. 1. c. 8. & 11. Autores versuum biblico-
rum allegat Viros Synagogæ magnæ, qui aliàs appellantur Masore-
thæ primi. Capellus in arcano punctationis l. 2. c. 7. originem ver-
suum facit adhuc recentiore, & refert ad Masorethas Tiberienses,
qui aliàs vocantur Masorethæ secundi, & An. 500. post Christum
floruisse dicuntur ex Elia Levita. Et videtur omninò, versus bi-
blicos à Mose primùm non ita conceptos, prout jam nos habe-
mus, sed sequentibus temporibus, & procul dubio primorum
Masoretharum operâ fuisse distinctos. Ad illorum enim labores
pertinuisse textus in sectiones majores & versus partitionem,
probat Buxdorffius d. 1. Et hac ratione Ursino adhuc incumbe-
ret probandum de Mose, quem satis audacter contendit versus
in Exodi cap. 20. sic ordinasse. Nam id certò asseverare nequit.
Et quod in specie præceptum de concupiscentiâ attinet, verum
est, illud & Exodi 20. & Deut. 5. ubi repetitur, uno versu contine-
ri; utrobique tamen duo præcepta comprehendi isto uno versu,
*apertè indicare videtur nota Masoretharum *Stbuma* appellari*
solita, quâ in Deuteronomio præceptum de non concupiscendo
interpungitur. Ea namque in medio versu facit interstitium &
luculenter disjungit utrumque præceptum: quod quidem signum
inter verba primi præcepti, & ea, quæ de Sculptilibus loquuntur,
nullibi interjectum animadvertimus.

IV. Sed hîc porrò *queritur, si duo sint mandata de concupi-*
scentiâ, undenam sit petendum utriusque præcepti discrimen, & an in
objectis, an in concupiscendo differentia constituenda sit? Patres ut
plurimùm in objectis substiterunt, ita ut concupiscentiam do-
mus ad nonum, & concupiscentiam uxoris ad decimum præce-
ptum retulerint. Et hanc sententiam si amplecteremur, jam pa-
ratus esset Ursinus, & urgeret nos argumento ab absurdo, prout
ipse d. l. id concipit in hunc modum: Si præceptum de concupiscen-
tia propterea in duo dividi deberet, quia distinctè domus & uxoris con-
cupiscentiam prohibet, eadem ratione distrabi deberet & in plura, &

Aliud argu-
mentum Ur-
sini.

tot præcepta fierent, quot species rerum non concupiscendarum enume-
 rarentur. Sed non præcisè tenemur in objectorum discrimine
 acquiescere. Habemus enim evidentiores differentias. Et pri-
 mò probamus, quod Lutherus scribit T. I. J. L. p. 169. His duobus præ-
 ceptis prohibetur ipse fomes & invincibilis cupiditas, ipsa, inquam, ra-
 dix malarum cogitationum, & ut sic dicam, essentialis seu causalis im-
 puritas. Et hæc præcepta nunquam à quoquam implentur. Quis enim
 gloriabitur, se mundum habere cor? quis hunc ignem intimissimum
 exstinguet? Ubi Lutherus contrahit hæc duo præcepta, exemplo
 forsitan Pauli, qui Roman. 13. v. 9. ea præcepta etiam conjungit, &
 neuter propterea existimandus est, quasi negassent, duo esse con-
 cupiscentiæ præcepta, quemadmodum Ursinus iterum disputat,
 & eò trahit locum Pauli, qui Rom. 7. v. 7. de concupiscentia, tan-
 quam de uno præcepto, dixerit: Non novissem, concupiscentiam esse
 peccatum, nisi lex dixisset, Non concupisces. Apostolus enim præce-
 ptum concupiscentiæ non ita ceu unum allegavit, ut contrà ex-
 pressè negaverit, præcepta esse duo, sed sermonem attemperavit
 suo proposito, & probaturo ibi, concupiscentiam esse peccatum,
 suffecit ea inductio præcepti, ut unius, qui alibi & Roman. 13. v. 9.
 ubi præcepta secundæ tabulæ recenset, & præceptum concupi-
 sciæ rursus ut unum refert, per adjectam clausulam genera-
 lem, Et si quod aliud est mandatum, satis se explicat, sub isto agno-
 sci à se & alterum. Deinde observari volumus distinctionem con-
 cupiscentiæ, quæ notante Jacobo in Epistola c. I. v. 15. est vel concu-
 piens vel pariens, seu ut Theologi nostri efferunt, vel originalis, vel
 actualis. Et hinc tertio dicimus, concupiscentiam actualem in nono
 & originalem in decimo præcepto prohiberi. Et ne gratis ac sine fun-
 damento id asseruisse videamur, adducimus interpretem Moysen
 Deut. 5. v. 21. Hic enim cum antè in Exodo utrumque præceptum
 enunciaisset phrasi לֹא תִחְמֹד in Deuteronomio, post
 phrasin hanc retinuit saltem in altero, nempe nono præcepto,
 & deinde in decimo usurpavit phrasin לֹא תִחְמֹד quæ qui-
 dem vocum distinctione distinctas concupiscentiæ species insi-
 nuavit. Nam quia vox חָמַד proprie significat, ex animo deside-
 ravit, cum consensu & opere in rem fervente, appetivit vehe-

Discrimen vo-
 ni & decimi
 præcepti un-
 de petendum.

Concupiscentia duplex.

menter, significatio hæc pertinet ad concupiscentiam actualem, & propterea in Deuteronomio nono præcepto, ubi illam concupiscentiam prohiberi diximus, rectè applicatur. Vox autem **וַיִּתְּנֵה** quia significat, seipsum fecit concupiscere, seipsum irritavit ad concupiscendum, significatio hæc propriè spectat ad concupiscentiam originalem, & ea propter in Deuteronomio præcepto decimo, ubi eam concupiscentiam accusari statuimus, convenienter nuncupatur.

V. Ita tandem relinquitur, non destitui fundamento enumerationem præceptorum Decalogi, in nostris Ecclesiis usitatam, quæ nempe *tria præcepta priora* transcribit *primæ Tabule*, & *sequentia septem secundæ*, ita ut præceptum de Imaginibus subalterneretur primo præcepto, & præceptum de concupiscentia, pro diversitate graduum concupiscentiæ, in duo diversa præcepta dispescatur. Et hanc distributionem qui perpendit eo sensu ac modo, quo à nobis proponitur, facilè videt, nos non esse reos neque ineptæ tautologiæ, neque vanæ idololatriæ, quam à nobis hîc in Decalogum invehit, & in Ecclesiâ stabiliri, perperam scribit & asserit *Tilenus* part. 1. Syntag. disp. 36. thesi 31. Hoc tamen pro conclusione hujus thematis adjicimus, nempe nos sentire cum *Chemnitio*, qui part. 2. LL. c. 7. dicit: *Non multum refert, quomodo- cunque præcepta numerentur, modò illud retineatur, ad primam tabulam pertinere, quæ præcipiunt immediatum cultum erga DEUM.* Non enim cardo fidei vertitur in hac disputatione, & nisi Adversarii suam, quam hæctenus excussimus, divisionem Ecclesiæ obtruderent tanquam necessariam, nos ipsis non refragaremur: sicut & *Ecclesia Argentinensis*, quæ ex libertate Ecclesiastica duos de non concupiscendo aphorismos in hunc usque diem pro uno præcepto habet, à nostris Ecclesiis nequaquam impugnatur.

VI. Cæterùm *præcepta Decalogi* in utraqve Tabula *aptissimo ordine* invicem consequuntur. *Prima tabula* respicit Deum, & agit de cultu Dei immediato: *Secunda* pro objecto habet proximum, & agit de cultu Dei mediato. *Primæ tabule præceptum primum* informat *Cor*, quod vero timore, fiducia ac dilectione DEO adhærere debet: *Secundum* informat *Os*, quod DEUM ex verbo agnitum debet confiteri, invocare, celebrare. *Tertium* informat

ge-

Ordo præceptorum Decalogi,

gestum circa cultum Dei publicum. Alterius tabula præcepta imperant officia proximo debita. In serie quartum sancit ordinem inter homines, juxta quem alii sunt superiores, alii inferiores, & jubet, ut illi rectè imperando, & hi decenter obsequendo sua munia expediant. Quintum tuetur vitam hominis; Sextum, pudicitiam; Septimum, facultates; Octavum, famam: Nonum denique præcipit mortificare actiones carnis, & damnat inordinatos concupiscentia motus tum primò-primos, seu in solâ mali suggestionibus subsistentes, tum secundò-primos, seu irritantes quoque hominem & titillantes, invitantesq; ad opus malum perficiendum: Decimum autem requirit interiorem omnium virium cum Deo conformitatem tam exactam, ut ne minima quidem pravæ pronitatis macula interveniat. Ita nempe singula præcepta habent suos singulos actus peculiare ac específicos, quos dirigunt. Objectum formale omnium præceptorum est Obedientia. Ea namque exigitur in omnibus præceptis. Actus item obedientia materiales, quos vocant, omnium præceptorum communes, sunt Amor, Honor, Timor Dei. Isti enim per omnia præcepta diffunduntur: sicut Lutherus & eâ de causâ in exegesi præceptorum præfixit omnibus hanc formulam: Debemus Deum timere & diligere. Actus autem obedientia speciales præscribuntur singulis præceptis, & hi simul sumti constituunt & ordinant nobis Decalogum.

VII. Concluditur ex dictis, Decalogum esse normam bonorum operum perfectissimam. Quicquid enim honestè debet vel fieri vel omitti, id in univèrsum omne in Decalogo vel præcipitur, vel vetatur, atque sic Decalogus est absolutissima Epitome faciendorum & fugiendorum. Adversantur huic thesi I. Pontificii, qui perfectionem Decalogi evertunt tum docendo, Consilia Evangelica legis divinæ perficiendæ ergò à Christo in Novo Testamento tradita esse. Vide Bellarm. lib. 4. de Justif. c. 3. Qui enim docet, legem Dei consiliis Evangelicis perfici, eo ipso docet, legem indiguissimè auctario Consiliorum; nec antè potuisse dici perfectam, quàm ista Consilia patefierent: Tum statuendo, Traditiones (tam de fide, quàm de moribus) pari pietatis affectu cum scripto DEI verbo acceptandas esse. Vide Concil. Trident. Sess. 4. cap. 1. Qui enim statuit, traditiones non scriptas eadem, quâ Dei lex scripta,

Decalogus est
norma B. O.
perfectissima.

Contradicit
huic thesi

1.
Pontificii.

reli-

2.
Photiniani.

religione colendas esse, eo ipso statuit, legem non continere omnia præcepta morum, sed per traditiones fuisse consummatam. II. *Photiniani*, Hi enim dum asserunt Christum legi divinæ nova quædam præcepta addidisse, quid aliud contendunt, quàm legem Decalogi fuisse imperfectam, & per novas illas, quas fingunt, sanctiones complementum accepisse suum. Vide *Gerhard. T. 3. LL. Loco de Evang. c. 14.* ubi prolixè recensentur &

3.
Remonstrantes.

diluuntur istæ imaginariæ Decalogi παραμυθολαί. III. *Remonstrantes* in Belgio. Sic enim *Arminius*, Remonstrantium primicerius in Disput. publicâ 13. thesi 6. scribit: *Tertia differentia Legis & Evangelii consistit in materia mandatorum. Mandata legis plerumque carnalia fuerunt. Evangelium verò est spirituale, continens mandata spiritualia.* Hæc verba, planè ad salivam Pontificiorum & Photinianorum concepta, ostendunt, Arminianos apertè derogare perfectioni Decalogi. Qui enim veteris ac Mosaici Decalogi mandata vocant carnalia, & iis contradistingvunt mandata Evangelii seu Novi Testamenti, ceu præstantiora, illi negant veterem Decalogum esse perfectum. Sed Arminiani illud faciunt, ut probat assertio Arminii. Ergò Arminiani negant veterem Decalogum esse perfectum.

Falsæ hypo-
theses Adver-
sariorum, u-
nà cum re-
sponzione.

VIII. Nos contra hos omnes unâ & communi defungemur responsione. *πρῶτον ψεῦδος* hujus opinionis est hoc. Docent nempe Adversarii, *Christum in proprio suo officio esse Legislatorem*, & venisse in mundum, ut novas quædam leges, ac perfectiora quædam Consilia Evangelica Mosaicis legibus adderet. Docent item, *Legem & Evangelium non differre formaliter, sed tantùm gradu perfectionis.* Evangelium enim passim interpretantur de doctrina Christi & Apostolorum, Evangelistarum & Apostolorum scriptis comprehensâ, & cum in his scriptis contineantur leges propriè dictæ, comminationes & promissiones cum conditione obedientiæ, eæ scilicet partes, quæ aliàs à nostratibus soli legi tribuantur, concludunt inde porrò, Evangelium nihil aliud esse, quàm legem, & distingvi utramque doctrinam vel in hoc tantùm, ut Evangelium præ lege perfectiora præcepta, præstantiores promissiones & comminationes luculentiores habere dicatur. Unde & *Evangelium novam legem* appellare consueverunt.

runt. Videatur *Bellarmin.* lib. 4. de Justific. c. 1. 2. 3. 4. *Gregorius de Valentia* T. 2. Disp. 7. quæst. 6. punct. 3. & *Schmaltzius*, homo Photinianus contra *Frantzius* Disp. 7. de Bonis Operibus. Submoveantur jam hæ hypothèses, & apparebit falsitas opinionis adversariæ. *Negatur* autem, *Christum in proprio officio esse Legislatorem.* *Christus in proprio officio non est Legislator.* *Mosis* enim hoc erat officium, ut ferret legem. *Christi* contra officium fuit, ut gratiam mundo acquireret, *Joh.* 1. v. 17. Et eâ fini apparuit in mundo, ut à maledictione legis nos liberaret, *Gal.* 4. v. 5. ut non amplius essemus sub lege, sed sub gratiâ, *Rom.* 6. v. 14. Ergò non venit, ut novas leges promulgaret. Et utut suis Discipulis ac Auditoribus quandoq; unum alterumve præceptum proposuerit, præcepta etiam Decalogi *Matthæi* 5. & 6. commentario illustrârit, non tamen istæ *Conciones*, *Luthero* iudice in cap. 2. *Gal.* T. 4. J. L. p. 51. sunt novæ leges, sed expositiones legis veteris & appendices *Evangelii*: nec erat *Christi* proprium officium, propter quod præcipuè venerat in mundum, docere sic ac interpretari legem, sed *accidentale ac particulare*, ut *Lutherus* iterum loquitur ad cap. 4. *Gal.* Tomo dicto pag. 121. Cùm igitur palàm sit, à *Christo* nullas novas leges fuisse profectas, sequitur inde, *CHRISTUM* non fuisse Legislatorem, & indè porrò sequitur, Decalogum esse perfectam bonorum operum regulam, utpotè quam à *Christo* per novarum legum accessionem compleri non oportuit. *Negatur* etiam, *Evangelium esse novam legem*, voce legis strictè acceptâ. *Evangelium* enim propriè est doctrina, quæ peccatoribus offert *Christi* justitiam, solâ fide sine operibus obtinendam. Et prole- *lex,* taria est sumtio vocis *Evangelii*, quando Adversarii eam de libris *Novi Testamenti* accipiunt, & post subsumunt, *Evangelium esse legem*, quia videlicet in libris *Novi Testamenti* multæ leges existunt. In libris sanè *Novi Testamenti Evangelicis* multas leges contineri certum est, sed non inde statim sequitur, *Evangelium esse legem.* Scriptura enim *Evangelium* non præcisè adstringit libris *Novi Testamenti*, sed proponit nobis illud, ut doctrinam, quæ quoad essentiam ab initio fuerit eadem, & in libris quoque *Veteris Testamenti* contineatur. Sic argumentamur: Quæ formâ speciali differunt, re ipsâ differunt. Sed *Lex* & *Evangelium* differunt formâ speciali. *Lex* enim urget opera, *Galat.*

3. v. 12. Evangelium verò est verbum fidei, Roman. 10. v. 8. & contradistinguitur legi ac operibus, Rom. 4. v. 4. 5. Ergo lex & Evangelium reipsa differunt, & per consequens Evangelium non potest esse doctrina legis. Unde & rursus evincitur, Decalogum esse perfectam bonorum Operum regulam, utpotè cui per novas leges ex Evangelio perfectio nulla accedere potuit.

CAPUT QUINTUM.

IMPLENDI IMPOSSIBILITAS.

Lex an homini possibilis?

Homini renato lex possibilis, quomodo?

I. Paucis adhuc videnda est illa controversa quæstio de Decalogo, *an ab Homine perfectè possit impleri?* Hæc quæstio ut rectè intelligatur, distinctè respondendum est primò de *Homine*, integro, corrupto & renato. *Homini integro* possibilis erat totius legis obedientia secundum omnes partes & gradus. Erat enim homo tunc conditus ad imaginem Dei in perfectâ sanctitate & justitiâ, adeoque instructus justis ad servandam legem viribus. *Homini corrupto* postea lex facta est impossibilis. Peccatum enim naturam hominis ita evertit, ut obedientiam DEO placentem ne quidem incoare possit, secundum dicta: *Omne sumentum cordis humani prævum à juventute*, Genes. 8. v. 2. *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & Pardus maculas suas, etiam vos potestis benè agere, cum sitis mali*, Jerem. 13. v. 23. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam*, 2. Cor. 3. v. 5. *Homini tandem renato* lex fit possibilis *Tum relativè & per imputationem*, quando nempe ipsi per fidem imputatur CHRISTI obedientia. *Quod enim impossibile erat legi, eò quod infirmata erat per carnem, hoc Deus prestavit per Filium, qui unicâ oblatione consummavit sanctificandos, ut δικαιομα seu jus legis in eis impleretur*, Roman. 8. v. 3. Ebr. 10. v. 14. *Hic est τέλος νόμου*, finis & perfectio legis *ad justitiam omni credenti*, Roman. 10. v. 4. *Et in eo sumus consummati*, Col. 2. v. 10. *Tum inhaerenter & per inchoationem*. Hæc enim est renatorum proprietas, ut ex fide per Spiritum Sanctum incipiant condelectari legi, eiq; se conforment, quantum possint. *Qui sunt CHRISTI* (per fidem

fidem in CHRISTUM regeneriti & justificati, crucifigunt carnem
(secundum legem) cum affectibus & concupiscentiis. Gal. 5. vers. 24.
Hæc est charitas DEI (hoc est indicium hominis renati ac DEO
addicti) ut mandata eius servemus, 1. Johan. 5. v. 3. Et hoc respectu
Lutherus Tom. 4. Jen. Lat. in Comment. ad v. 10. cap. 3. Gal. pag. 83.
86. 87. renatos appellat *Factores legis*, iisque attribuit *Facere*, ut
vocat, *Fidele ac Theologicum*, quod nempe in eo consistat, ut homo
credat in CHRISTUM, legis Factorem sine exemplo unicum,
& accepto per fidem Spiritu Sancto, legem post & ipse faciat.
Ita homini renato lex est possibilis.

II. Manet tamen ipsa eidem nihilominus & suo modo im-
possibilis. Distingvenda enim porro hîc est *legis impletio inha-*
renter spectata, quæ nimirum est *perfecta vel absolutè, vel secundum*
quid. *Absolutè perfecta impletio legis est*, quæ & in totum & in tan-
tum præstat *τὸ ὅλον*, seu quæ legi satisfacit usque ad minutis-
simam apicem obedientiâ, secundum omnes partes, omnes gra-
dus & omne tempus consummatâ. *Et aliter lex à Renatorum ne-*
mine potest impleri. Non enim est homo, qui non peccet, 1. Reg. 8.
v. 46. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à pecca-*
to? Prov. 20. v. 9. *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces su-*
mus, 1. Johan. 1. v. 8. *In multis offendimus omnes*, Jacob. 3. v. 2. Et
huc pertinet consideratio in primis præcepti de DEO ex toto
corde, totâ mente, totâ animâ, & omnibus viribus diligendo;
item præcepti de non concupiscendo. Quis enim renatorum
unquam tam sanctus fuit, ut hæc præcepta suo obsequio plenè
exaurire evaluerit? Rectè dixit Paulus Roman. 7. vers. 14. *Lex est*
spiritualis, id est, requirit obedientiam non tantum externam, sed
& internam & eam integritatem, cui carnale nihil adhæreat.
Renati igitur quia ad eam perfectionem pervenire non possunt,
legi inde omnes sunt obnoxii, & tenentur deprecari rigorem di-
vini juxta legem judicii, cum Davide ex Psalmo 143. vers. 2. *Ne*
intres, Domine, in iudicium cum servo tuo, quia coram te non justifica-
bitur omnis caro: tenentur simul confugere à lege ad Evange-
lium, à Mose ad CHRISTUM, ab operibus ad gratiam, cum
Ecclesiâ Judaicâ ex Daniel. cap. 9. vers. 18. *Non in justitiis nostris*
prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationi-

Homini re-
nato lex im-
possibilis quo-
modo?

Impletio le-
gis perfecta
vel Absolutè;

bus tuis multis. Huc enim prodest nobis gratia Evangelii, ut nostrorum operum impuritas & imperfectio, quam lex accusat & damnat, nobis non imputetur, sed velamento justitiæ CHRISTI tegatur, nobisque remittatur. Sic *Christianus intus implet legem fide; foris operibus & remissione peccatorum*, quæ sunt verba Lutheri ad v. 23. c. 5. Gal. T. dicto p. 178. seu, ut commentatur in locum Ecclesiastæ cap. 7. v. 21. Tom. 1. Jen. Lat. pag. 182. *Præcepta DEI implentur plus ignoscente Deo per misericordiam, quam operante homine per justitiam.*

Vel secundum quid.

III. *Impletio legis perfecta secundum quid est*, quæ obedientiâ præstatur legi pro modo & capacitate hujus vitæ & consistit propriè in obedientiæ actu externo & interno quoad omnes præceptorum partes, simul & complectitur serium studium Deo inserviendi, ac desiderium omnes actiones ad gloriam Dei referendi. *Hoc modo potest asseri, legem à renatis perfectè impleri*, ita ut intelligatur *perfectio serietatis, conatus ac studii non simulati*, dicaturvè *perfectio respectu mundi* seu impiorum, quorum intuitu renati utique sunt perfecti. Non enim se polluunt peccatis contra conscientiam, ut impii. Patres consueverunt appellare *Perfectiorem imperfectam*. Peccatum enim, renatis adjacens, perfectiorem hîc impedit, ut ipsi, quantumcunque etiam proposito legi se applicuerint, subinde tamen deficient, & *inutilitatem* suam profiteri cogantur ex Luc. 17. v. 10. *Bonarum mentium est, culpam agnoscere, ubi culpa non est*, dictum hoc Gregorii laudat Lutherus, & ad renatos in hoc imperfectionis casu accommodat, comm. in cap. 20. Genes. Est igitur *incompleta legis impletio*, quæ renatis hîc tribuitur, & est *perfectio*, ut sic loquar, *incoata*, & valet eò regula Theologorû: *Dicta completiva in sacris sæpè sunt intelligenda inchoative*, per idiotismû Ebrææ lingvæ, ita ut res, aut factum, aut opus completum accipiatur pro solo ejus initio. Sic Noa cum esset annorum 500. genuit Sem, Ham & Japhet, Gen. 5. v. 32. id est, cœpit gignere. Et 1. Reg. 6. v. 2. Salomo ædificavit templum, id est, ædificare cœpit. Eadem ratione renati dicuntur perfecti, cum tales esse incipiunt, & seriâ voluntate ad perfectionem tendunt, Matth. 5. v. 48. Johan. 17. vers. 23. Et ita memoratur de Noa, quod fuerit *vir perfectus*, Gen. 6. v. 9. de Davide, quod *custo-*
dive-

Renatis quæ & qualis perfectio tribuitur?

diverit mandata DEI & DEUM toto corde suo secutus fuerit, 1. Reg. 14. v. 8. de Josiâ, quòd reversus fuerit ad Jehovah, ex toto corde suo, & ex toto animo suo, totisq; viribus suis, 2. Reg. 23. v. 25. De parentibus Baptistæ, quòd ambo fuerint justî (justitiâ universali) & in omnibus mandatis ac constitutionibus DEI inculpate inceserint, Luc. 1. vers. 6.

IV. Hæc sunt fundamenta orthodoxæ de impletione legis doctrinæ, cui iterum contradicitur à Pontificiis, Pelagianorum hæresin hîc interpolantibus. Bellarminus lib. 4. de Justif. cap. 11. & seqq. operosè propugnat hanc thesin, legem nempe esse possibilem & talem, quæ, ut ipse loquitur, facile & parvo negotio custodiri possit. Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 11. c. 18. thesin hanc obsignat anathemate & clamat: *Si quis dixerit, DEI præcepta homini justificato esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Et ut intelligatur, quamnam possibilitatem intendant Adversarii, edocere nos id potest Bellarm. l. d. c. 10. ubi scribit: *Catholici docent legem DEI justis hominibus esse absolute possibilem per auxilium gratiæ Dei, &c. Statuunt igitur Adversarii possibilitatem absolutam, & propterea in hoc à nobis dissident. Nos cum Scriptura docemus, legem renatis esse possibilem secundum quid. Adversarii verò contra contendunt, legem renatis esse possibilem absolute. Etiam in hoc à nobis dissident. Nos cum Scriptura docemus, obedientiam renatorum esse imperfectam, eamq; imperfectionem æstimamus ex rigore legis, & dicimus, vitam hominis renati, utut respectu mundi corrupti, simul & respectu sinceritatis appellari possit perfecta, tamen si ad obrussam legis revocetur, deprehendi mancã & inutilem. Adversarii verò, quanquam & ipsi concedant, justitiam renatorum esse imperfectam, illam tamen imperfectionem non metiuntur ex auctoritate legis, sed aliunde definiunt, nempe ut existiment, obedientiam renatorum esse imperfectam tum ratione justitiæ in vita æterna futuræ, tum ratione operum supererogationis, quæ cum non mandata, sed consulta tantum sint, perfectiorem adhuc faciant eum, qui illa præstet. Extra hanc autem perfectionem geminam, putant, renatos esse perfecte justos eâ perfectione, quam lex à nobis postulet in hac vitâ, & quæ opera fidelium simpliciter & absolute justa esse possint citra ullam contaminationem, quæ contra legem peccetur, aut legis*

impletio impediatur: Quin imò talia opera esse meritoria vitæ æternæ, & tantùm abesse, ut lex impleri non possit, ut potius etiam super illa opera, quæ mandata sint, aliquid amplius præstari possit ex bonâ intentione. Hæc est Pontificiorum in hoc articulo Theologia.

Consensus
Photiniano-
rum & Re-
monstrantiũ.

V. Eundem errore nerrant etiam *tum Photiniani*. Legem enim perfectè impleri posse disputant. *Indignissima res est*, scribit *Socinus* in l. quod Evangelici se Photinianis adjungere debeant c. 5. *vel cogitare quidem, Deum homini quicquam præcepisse, quod ipsi homini factu omninò sit impossibile: Tum Remonstrantes seu Arminiani*. Hæc enim sunt *Arminii* verba in articulis perpendendis, pag. 961. *Qui dicit, regenitos posse per CHRISTI gratiam legem perfectè præstare in hac vitâ, ille non Pelagianus est, neque gratie DEI facit injuriam, neque justificationem ex operibus stabilit*. Confer ulterius opera *Arminii* pag. 178. 186. 817.

Summaria
responsio.

VI. Sed ex antè dictis facilè potest judicium fieri de hoc Adversariorum dogmate. Si lex absolutè, ut ipsi volunt, esset possibilis, sequeretur primò, nos per legem posse justificari. *Ei enim, qui operatur, merces hæc imputatur secundùm debitum, ut qui fecerit ea, vivat in eis*, Rom. 4. v. 4 Gal. 3. v. 12. Sequeretur secundo, obedientiam, quam Christus & agendo & patiando legi præstitit, fuisse frustraneam. Quod enim homo ipse præstare potest, id Christum præstare non oportuit. *Si per legem est justitia, Christus dõpçav est mortuus*, Gal. 2. v. 21. Sequeretur tertio, in renatis nullum amplius esse peccatum, nullaqve tandem eos indigere pœnitentiâ. Ubi enim est perfecta legis impletio seu *έννομία*, ibi non potest esse *άνομία* seu peccatum, & qui sic sani sunt, non opus habent nec *Medico*, nec Medicinâ seu pœnitentiâ, Matth. 9. v. 12. Sed hæc consequentia omnia sunt absurda. Vide loca Galat. 3. v. 11. Matth. 5. v. 17. Rom. 3. v. 23. Act. 17. v. 30. Ergò absurdum est & antecedens, nempe legem homini renato absolutè esse possibilem.

VII. Argumenta, quibus Adversarii in hac causâ nituntur, videri possunt apud *Bellarminum* d. l. Nos

Nos

Nos hîc finimus, & oramus DEUM, ut per legem *Conclusio*
suam nostros *pedes* semper *in viâ pacis* dirigat,
(Luc. i. v. 79.) nostræq; imperfectioni suo Sancto
Spiritu subveniat, & *δεξιὴν Ἰησοῦς ἰσοστάσεως* (Ebr. 3. v. 14.)
in nobis de die in diem consummet, eò usque *do-*
nec *fiamus unus homo perfectus in mensura stature &*
plenitudinis Christi, (Eph. 4. v. 13.) cui cum Pa-
tre & Spiritu Sancto sit gloria in
secula, Amen.

F I N I S.



